

12386
Box 590
Box 383/
no. 20
7691

DIODORUS, CURTIUS, ARRIANUS
QUIBUS EX FONTIBUS
EXPEDITIONES AB ALEXANDRO IN ASIA
USQUE AD DARI MORTEM FACTAS
HAUSERINT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA
QUAM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN

ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXI M. APR. MDCCCLXX
H. XI. L. C.

PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLFUS PETERSDORFF
RASTENBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES AGENT:

G. DITTMAR, CAND. HIST.
C. LAUDIEN, CAND. HIST.

GEDANI.
TYPIS A. G. KAFEMANNI.

1870.
Printed in Germany

I, 224



VIRO HUMANISSIMO

DR. C. W. NITZSCH

PROF. PUBL. ORD. HIST. IN ACAD. ALB.

PRAECEPTORI

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Quaestionibus de Alexandri Magni fontibus adhuc institutis, quamquam nonnullae earum magna cura diligentiaque sunt habitae, tamen rem non ad liquidum esse perductam, quoniam inter doctos satis constat, denuo hunc locum accuratius pertractare operae pretium esse arbitror. Nam vel a Sancto Crucio, ut leviores auctores praetermittam, „multa elegantius quam verius dicta esse“ iam Mueller recte adnotavit¹⁾. Et Hullmann et Geier et Mueller fragmentis collectis, dispositis atque adnotationibus instructis ad fontes Alexandri rectius accuratiusque diiudicandos plurimum contulerunt. Attamen usque ad hoc tempus arte critica ne satis quidem est explicatum, quibus ex fontibus Curtius, Diodorus, Plutarchus, Troius Pompeius, Polyaeus historiam Alexandri Magni hauserint, nedum de primariis fontibus, quo in numero Clitarchi et Callisthenis praecipue mentionem fecerim, accuratius sit quaesitum. Sed hinc cave, conicias, me aut Rauni aut Volquardseni quaestiones non inspexisse²⁾. Qui uterque, Muellerei fragmentis nisi fallor adductus, narrationem Alexandri a Curtio aequae atque a Diodoro ex Clitarcho solo esse haustam coniecit. At falsam esse hanc sententiam, equidem sine ulla dubitatione

1) cf. Carolus Mueller: scriptores rerum Alexandri Magni. Praefatio.

2) Raun: De Clitarcho Diodori, Justini, Curtii auctore. Bonnae 1868 Diss.

Volquardsen: Untersuchungen über Diod., Buch XI—XVI, 1868.

confirmaverim, quam Raun etiam argumentis probare ausus est¹⁾. Volquardsen idem, Diodoro et Curtio leviter et cursim comparatis, est opinatus, atque adeo propterea, quod Diodorus cum Curtio multis locis consentit, non dubium esse putat, quin Diodorus libro decimo septimo constanter Clitarchum excerpserit²⁾. Sed tamen Volquardsen, quum aliam Diodori partem data opera perscrutatus sit, quodammodo potest excusari, Raun vero negligentissimum se prae-buit auctorem.

Neque vero hoc quidem loco in omnes historiae Alexandri Magni fontes sum inquisiturus, sed tantummodo Diodoro, Arriano ac maxime quidem Curtio operam meam impertire constitui.

Cap. I.

De fontibus Diodori.

Jam Sanctus Crucius, Geier, Mueller, alii, quod Clitarchi fragmenta valde cum Diodoro consentiunt³⁾, Diodorum Clitarchum excerpisse, collegerunt. Quae sententia mihi rerum Alexandri scriptores pervestiganti refutari non posse videtur, praesertim cum et ex Ciceronis et ex Plini scriptis intelligatur⁴⁾, Ciceronis temporibus Clitarchi librum diligenter esse lectum. Diodorum igitur non ex auctore, qui Clitarcho usus sit, sed ex ipso Clitarcho „celebrato auctore“⁵⁾ hausisse, veresimillimum est. Itaque hoc solum accuratius exquirendum esse puto, utrum ex Clitarcho solo Diodorus expeditiones Alexandri decimo septimo libro enarratas, an ex pluribus fontibus exscripserit.

1) cf. Raun II. pars p. 1—3.

2) cf. Volquardsen p. 28.

3) cf. Mueller: scriptores rerum Alexandri. Fragmenta Clitarchi 1 a, 5, 8, 9, 12, 15, 16, 20—22. Nonnulla fragmenta a Muellero allata, ut exempli caussa 3, 3 a. nullius esse momenti, apertum est.

4) cf. Mueller: scriptores Alexandri fragm. Clit. praefatio.

5) Ut Plini verbis utar.

Inter omnes scriptores, qui aetate Alexandro aequales eius expeditiones enarraverunt, Ptolemaeus, Aristobulus, Callisthenes sine dubio primum obtinent locum. Sed Diodorum vel Ptolemaeo vel Aristobulo usum esse, nemo opinabitur, qui eos cum Diodoro accuratius comperaverit. Neque vero Callisthenem a Diodoro esse adhibitum, mihi quidem ullo argumento probari posse videtur¹⁾.

Attamen dubium est, an Diodorus, Ptolemaeo, Aristobulo, Callisthene exceptis, praeter Clitarchum ex alio fonte vel aliis fontibus, quorum vel minima vel nulla fragmenta nunc exstant, exscripserit.

Libro quidem undecimo usque ad librum decimum sextum a Diodoro historiam Graecam ex Ephoro solo, Sici-liensem ex Timaeo solo sumptam esse, et libro vicesimo octavo usque ad librum tricesimum secundum enaratam historiam ex Polybio solo esse depromptam, Cauer ac nuper Volquardsen et Nissen iam satis explicaverunt²⁾. Itaque Diodorum omnes historiae partes inter se cohaerentes ex singulis fontibus hausisse neque plures fontes simul adhibuisse, veresimile esse videtur. Attamen huic sententiae in expeditionibus Alexandri libro decimo septimo narratis tres loci videntur obsistere, quibus aliorum quoque fontium Diodorus mentionem facit³⁾. Sed si hos locos accuratius inspexeris, rem se ita non habere intelliges. Maximi enim est momenti, nos unum locum ex tribus allatis cum eodem Curti loco posse conferre, cum hic easdem res tradiderit⁴⁾. Diodoro enim auctore, alter fons, praefectum Susorum sua sponte Alexandro tradidisse regiam, narravit, alter, hoc

¹⁾ cf. excursus p. 8.

²⁾ Cauer: De fontibus ad Agesilai historiam. Volquardsen cap. IV. Cum Volquardsen, Caueri libri nescius, eandem sententiam argumentis probatam prodiderit, quam Cauer, utriusque argumenta esse recta, satis constat. — Nissen: Kritische Untersuchungen über d. IV. u. V. Decade des Livius.

³⁾ Diod. lib. XVII. cap. 23: *ἐνιοι δὲ λέγουσι κα.* cap. 65: *ὥς μὲν ἐνιοι γεγράφασιν κα.* cap. 73: *ὥς μὲν ἐνιοι γεγράφασιν κα.*

⁴⁾ cf. Curt. V. cap. 2 § 8 et Diod. cap. 65.

Dari iussu factum esse, ut Alexander alio loco occuparetur atque in clarissimis urbibus maximisque opibus occupandis retineretur. Quam utramque sententiam, cum in Curtio eodem modo eodemque ordine ac nexu sit narrata¹⁾, a Diodoro et Curtio non ex pluribus fontibus, sed ex uno scriptore esse haustam, qui pluribus fontibus usus sit, quis est, quin intelligat!

Accedit, quod iam Cauer, Diodorum narrationem, in qua fontes citat, non ex fontibus nominatis, sed una cum fontium nominibus ex uno fonte descripsisse, demonstraverit. Quibus ex caussis Diodorum duobus quoque aliis locis, quos protuli, unum tantummodo fontem esse secutum, veresimile est. Quum praeterea, Diodoro cum reliquis scriptoribus accurate comparato, nulla certa inveniuntur indicia, eum expeditiones Alexandri narrantem pluribus fontibus usum esse, sententia Caueri, Volquardseni, Nisseni decimo septimo quoque Diodori libro est comprobata.

Itaque cum et Diodorum Clitarcho usum esse certo sciamus, et eum expeditiones Alexandri ex uno tantummodo fonte exscripsisse, veresimillimum est, facile coniici potest, expeditiones Alexandri a Diodoro ex Clitarcho solo esse haustas.

Excursus ad p. 7.

Cum sint, qui censeant, aut Diodorum, aut auctorem eius expeditiones Alexandri enarrantem Callisthene esse usum, iam argumenta proferam, ex quibus colligere possis, sententiam istam esse falsam. Primum maximi momenti esse puto, quod viginti Callisthenis fragmenta, quorum nonnulla sunt maxima neque verbis neque rebus cum Diodoro conveniunt. Deinde etiam demonstrabitur, Callisthenem et Diodorum, quotiescunque easdem res enarrant, inter se maxime dissentire.

Etenim duo maxima Callisthenis fragmenta sunt de proelio apud Issum commisso et de expeditione ad Ammo-

¹⁾ cf. Curt.: Abulites, regionis eius praefectus, sive Darii iussu, ut Alexandrum retineret, sive sponte ... misit, traditurum se urbem promittens.

nem facta. Qui duo loci cum Diodoro non modo non consentiunt, sed etiam ab eo vehementer abhorrent. Si enim utriusque scriptoris narrationem proelii apud Issum facti diligentius exanimaveris, has res inter se discrepare reperiēs¹⁾.

a) Callisthenes, Alexandrum iam, ubi quadraginta circiter stadia a Dario auit, copias suas porrecta et aequata fronte in eum duxisse, tradit, Diodorus cum Curtio consentiens, triginta demum a Dario eum instruxisse exercitum²⁾.

b) Callisthenes, Dario in proelio apud Issum commisso triginta, Diodorus centum milia equitum fuisse, narrat.³⁾

c) Diodorus et Curtius, Darium, dum pugnatur, in laevo cornu, Callisthenes et Arrianus, in media acie stetisse, tradunt. Praeterea Diodorus et Curtius inter Dari atque Alexandri comites multa fuisse certamina referunt, quorum neque Callisthenes neque Arrianus ullo verbo mentionem faciunt, immo salvo narrationis ordine mentionem facere non potuerunt⁴⁾.

d) Denique Polybius eodem loco memoriae prodidit, Alexandrum in Asiam proficiscentem, Callisthene auctore, quadraginta milia peditum habuisse, Diodorus vero tantummodo triginta milia ei fuisse narrat⁵⁾.

Neque minus altero loco de oraculo in templo Ammonis dato Diodorus et Callisthenes inter se discrepant⁶⁾.

Callisthenes enim, Strabone auctore, refert, Alexandro omnia responsa aut nutis aut signis, hoc solum verbis esse

1) cf. Diod. c. 33—35 et Polyb. XII. c. 17—22.

2) cf. Diod. c. 33. Curt. III. c. 8 § 24. Polyb. XII. c. 20.

3) cf. Diod. c. 31. Polyb. XII. c. 18.

4) cf. Diod. c. 34 Curt. III. c. 11 § 7—10. Polyb. c. 22. Arr. II. c. 10, 3.

5) Diod. c. 17. Polyb. c. 19.

6) Mueller totam Plutarchi locum, quo expeditio Libyca narratur, ex Callisthene transcriptum esse, falso putat cf. fragm. 36. Haud dubie Plutarchus hoc loco unius tantummodo miraculi auctorem Callisthenem perhibet, quum dicat: 'Ὅδὲ θανμασιώτατον, ὡς Καλλισθένης γησί. Praeterea haec Plutarchi narratio de responsis aut per signa aut per verba datis cum strabonis commemoratione eiusdem facti valde discrepat, quam ex Callisthene petitam esse, nemo erit, quin concedat.

data, eum Jovis filium esse ¹⁾). Diodorus vero, eodemque modo Curtius, qui multa responsa enumerant, omnia verbis esse edita, prodiderunt.

Itaque fragmenta Callisthenis cum Diodoro non modo non consentire, sed etiam ab eo prorsus dissidere, apertum est. Neque praeterea in Diodori narratione ulla certa inveniuntur indicia, ex quibus concludere possis, Callisthene Diodorum esse usum. Quamquam quidem satis constat, in Callisthenis opere connexum quemdam cum Homero fuisse ²⁾, tamen cave, colligas, Diodori locos cum Homero cohaerentes ex Callisthene esse haustos, quum plurimi fontes rerum ab Homero narratarum mentionem faciant ³⁾.

Itaque non est, cur putemus, narrationem de Alexandro in Asiam transvehente neque minus de parentando ad Achillis tumulum a Diodoro vel eius fonte ex Callisthene haustam esse. Quam fontium narrationem non ob eam causam cum Homero cohaerere, quod ex Callisthene sit exscripta, sed, quod Alexander non modo Homerum diligenter legerit, sed etiam heroum Homericorum memoriam quocunque modo coluerit atque observaverit, nemo erit, quin intelligat.

Curtium quidem pluribus fontibus inter quos Callisthene quoque usum esse, satis probasse mihi videor ⁴⁾). Quos locos

¹⁾ Callist. ap. Strab. XVII p. 813: οὐχ . . . ἀποθεσπίσεις διὰ λόγων, ἀλλὰ νεύμασι καὶ συμβόλοις τὸ πλεον . . . τοῦτο μέντοι ῥητῶς εἰπεῖν τὸν ἀνθρώπον πρὸς τὸν βασιλέα, ὅτι εἴη Αἰὼς υἱός.

²⁾ cf. Mueller fragm. Callisth. praefatio p. 8.

³⁾ Plut. Alex. c. 36 . . . αὐτὸς ἔφη τὴν Ἰλιάδα φρονήσῃν ἐνταῦθα κατὰθέμενος. Καὶ ταῦτα μὲν οὐκ ὀλίγοι τῶν ἀξιολύστον μεμαρτυρήκασιν. Εἰ δ' ὅπερ Ἀλεξανδροεῖς λέγουσιν Ἡρακλείδῃ πιστεύοντες, ἀληθές ἐστιν, οὐκ ἀργὸς οὐδ' ἀσύμβολος αὐτῷ συσχετᾶσθαι εἴκοιεν Ὀμηρος. Λέγουσι γάρ, ὅτι κα. qua in narratione sequenti etiam duo versus Homericus sunt citati ex Odys. IV. 354 et 355. Praeterea inspicias Arr. I. c. 11, 5 et VI. c. 10, 2; quum enim Arrianus narrationi de Protesilaio, qui Graecorum contra Troianos proficiscentium primus in Asiam pedem intulit et de scuto Iliaco verba „λόγος ἐστίν, λέγουσιν“, non addat, eam aut ex Ptolemaeo aut ex Aristobulo conscriptam esse, ex ipsius operis praefatione percipi potest.

⁴⁾ cf. p. 11 sqq.

ex Calisthene exscriptos media in Diodori narratione plane cum Curtio consentiente deesse, non praetermittendum esse puto.

Quibus ex argumentis omnibus satis, ut opinor, potest colligi, non esse, cur aut Diodorum aut fontem eius Clitar-
chum ex Callisthene hausisse iudicemus.

Cap. 2.

De fontibus Curti.

§ 1.

Quum Curti opus et cum Clitarchi fragmentis¹⁾, et maximam partem cum Diodoro²⁾ plane conveniat, non dubium est, quin aut Curtius, aut eius fons Clitarcho usus sit. Praeterea cum Clitarchus et Plini temporibus, id est primo saeculo post Chr. natum, quo Curtius historiam scripserit, „celebratus auctor“ fuerit, et a Curtio bis sit citatus³⁾, Cur-

1) cf. Müller fragm. Clit. 4, 5, 7, 9, 10—12, 17, 20, 22, 23. Quae quidem fragmenta omnia quinto usque ad decimum librum a Curtio sunt reddita. Sed ut cum tertio atque quarto Curti libro nullum fragmentum consentiat, hanc ob causam tantummodo factum esse mihi videtur, quod fere nulla exstant Clitarchi fragmenta, quae cum hac historiae parte cohaerent. Cum enim Clitarchi fragmenta a Muellero 1, 3 et 3a) posita sine ullo momento sint, praeterea fragmentum 1a) ad eam historiae partem sit referendum, quae duobus primis libris amissis, in Curtio deest, unum tantummodo exstat fragmentum, id est secundum a Muellero positum, quod in tertio vel quarto Curti libro redditum esse potuit. Sed forte evenit, ut Curtius rem in hoc fragmento narratam praetermiserit. Itaque non est, cur miremur, quod cum quinto sequentibusque libris plurima, cum tertio atque quarto nulla consentiunt fragmenta. Neque vero in sententiam discedere dubito, tertium quartumque aequae quintum sequentesque libros magnam partem ex Clitarcho esse haustos.

2) Qui consensus est tam apertus eumque tam saepe aliis locis accuratius exposui, ut hic quoque congruentes locos enumerare et conferre inutile ac longum mihi esse videatur.

3) Curt. IX. c. 5 § 21: Ptolemaeum, qui postea regnavit, huic pugna affuisse (Mallensi) auctor est Clitarchus etc. Curt. IX. c. 8, § 15: octoginta milia Indorum in ea regione caesa, Clitarchus est auctor etc.

tium non ex alio auctore, qui Clitarchum exscripserit, expeditiones Alexandri Magni, hausisse, sed ex ipso Clitarcho, confirmaverim.

Num Curtius praeter Clitarchum aliis fontibus et quibus usus sit, mihi accuratius est perspiciendum. Ac primum quidem allaturus sum locum, quo Curtium media in Clitarchi narratione alium fontem adhibuisse satis demonstrari potest.

In narratione enim proelii apud Gaugamela commissi et Curtius et Diodorus congruenter tradunt, Persas, Dari auriga hasta transfixo, non dubitantes, quin ipse rexesset occisus, incondito clamore totam fere aciem perturbasse; Plutarcho vero narrante, equis Darium necatum esse¹⁾. Neque minus illi de Dari fuga consentiunt, eum nube pulveris fuisse absconditum narrantes²⁾. Unde apparet, utrumque nuncium ex Clitarcho esse exscriptum. Inter quos nuncios a Curtio narratur, Darium, quum suos milites fugientes videret, „dubitasse, an fugae dedecus honesta morte vitaret“.

a) Quod a Diodoro, quamquam hoc loco plenius atque uberius transcripserit, tamen non est narratum.

b) Praeterea et Curtius et Iustinus, qui eundem nuncium tradidit³⁾ hoc loco a Diodoro dissentiunt. Diodorus enim perterritum Darium in fugam se convertisse, Curtius atque Iustinus, et ipsum mori voluisse produnt, et Iustinus addit, Darium a proximis in fugam se conferre permotum esse⁴⁾.

c) Huc accedit, ut Curtius ipse huic nuncio „dicitur“ praeposuerit, etsi et ante et post, ut iam explicavi, Clitarchum excerpserit.

¹⁾ cf. Curt. IV. c. 15 § 28 et 29. Diod. c. 60. Plut. Alex. c. 60, 4.

²⁾ Curt. c. 15 § 32: Haerebat in tergis fugientium victor sed prospectum oculorum nubes pulveris, quae ad coelum ferebatur, abstulerat. Diod. c. 61: ... καὶ κρυπτομένην ἔχων διὰ τὸν ἐξαιρόμενον κοινοῦ τὸν τὴν ἰδίαν ἀποχώρησαν, ἀκινδύνως αὐτὸς τε ἔφυγεν κτλ.

³⁾ Iust. XI c. 14.

⁴⁾ Diod.: καὶ αὐτὸς καταπλαγείς πρὸς φύγην ὤρμησεν. Curt.: dubitasse, an fugae dedecus honesta morte vitaret Dum inter spem et desperationem haesitat etc. Iust.: Darius, quum vinci suos videret, mori voluit et ipse, sed a proximis fugere compulsus est.

Quibus ex argumentis colligi potest, Curtium hoc loco praeter Clitarchum ex alio fonte hausisse, quo Iustinus quoque usus est¹⁾. Sed quisnam fuit fons, quo Curtius praeter Clitarchum usus sit?

Ut rem satis exponam, locos ex Curtio afferam, qui et a narratione Diodori distant et cum alio scriptore consentiunt. Ac primum locorum, qui cum Arriano conveniunt, mentionem faciam.

§ 2.

A.

Curtium proelium apud Issum commissum²⁾ magnam partem ex Clitarcho exscripsisse, ex eius narratione plurimis locis cum Diodoro consentiente apparet; cuius consensus nonnulla attamen gravia exempla iam supra protuli³⁾. Sed praeterea non paucae sunt res, de quibus Curtius et Diodorus vehementer inter se discrepant, ex quibus eas primum sum allaturus, quae in Curtio atque Arriano congruunt.

a) Curtius, Alexandri equites in duobus cornibus, inter eos pedites stetisse, Diodorus, peditatum post equitatum positum esse narrat⁴⁾. Quam Curti sententiam in Arriano quoque reperimus. Huc accedit, ut Curtius et Arrianus in narratione aciei ab Alexandro instructae ad verbum idem narrent⁵⁾.

¹⁾ Troium Pompeium, Iustini fontem, Clitarchum adhibuisse, satis constat. cf. Mueller fragm. Clit. Ex hoc loco, de quo verba feci, eum aequae ac multis aliis locis, qui a Diodoro discrepant, alium fontem exscripsisse apparet.

²⁾ cf. de hoc proelio Arr. II. c. 7—13. Curt. III. c. 8 §§ 13—30 etc. 9—13. Plut. Alex. c. 20 et 21. Diod. c. 33—39. Iust. c. 9.

³⁾ cf. p. 9.

⁴⁾ cf. Diod. c. 33: ... τοὺς μὲν ἐπὶ πρὸ πάσης τῆς στρατιᾶς, τὰς δὲ τῶν πεζῶν φάλαγγα κατόπιν κτλ. Curt. III. c. 9 § 7 et 8: Alexander phalangem ... in fronte constituit Equites ab utroque cornu locati etc.

⁵⁾ Differentiam, quae in ordine singulorum agminum esse videbatur, iam Freinsheim optime sustulit (cf. Curt. ed. Cunze III. cap. 9. g.)

Arr. II. c. 8, 3 et 4...

πρώτους μὲν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ
κέρως πρὸς τῷ ὄρει τῶν πεζῶν
τό τε ἄγλημα καὶ τοὺς ὑπα-
σπιστάς, ὧν ἡγεῖτο Νικάνωρ
ὁ Παρμενίωνος, ἐχομένην δὲ
τούτων τὴν Κοίνου ἰάξιν, ἐπὶ
δὲ τούτοις τὴν Περδίκκον.
οὗτοι μὲν ἔσπε ἐπὶ τὸ μέσον
τῶν ὀπλιτῶν ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ
ἀρξάμενοι τεταγμένοι ἦσαν.
ἐπὶ δὲ τοῦ εὐωνύμου πρώτη
μὲν ἡ Ἀμύντου τάξις ἦν, ἐπὶ
δὲ ἡ Πτολεμαίου, ἐχομένη
δὲ ταύτης ἡ Μελεάγρου. τοῦ
δὲ εὐωνύμου τοῖς πεζοῖς μὲν
Κράτερος ἐπετέτακτο ἄρχειν,
τοῦ δὲ ξύμπαντος εὐωνύμου
Παρμενίων ἡγεῖτο· καὶ παρ-
ῆγγελο αὐτῷ μὴ ἀπολείπειν
τὴν θάλασσαν.

Arr. c. 9, 1: ... Πέμ-
πει κατὰ τάχος τοὺς Θεσσα-
λοὺς ἱππέας ἐπὶ τὸ εὐώνυμον,
κελεύσας μὴ πρὸ τοῦ μετώπου
τῆς πάσης τάξεως παρῆπτεῦ-
σαι, τοῦ μὴ, καταφανεῖς τοῖς
πολεμίοις γενέσθαι μεταχω-
ροῦντας, ἀλλὰ κατόπιν τῆς
φάλαγγος ἀφανῶς διελθεῖν.

Curt. III c. 9 § 7, 8 et
10: dextrum cornu Nica-
nor Parmenionis filius tue-
batur: huic proximi stabant
Coenos et Perdiccas. At
Meleager et Ptolemaeus et
Amyntas, sui quisque agmi-
nis duces in laevo, quod
ad mare. Craterus et Par-
menio praeerant; sed Cra-
terus Parmenioni parere
iussus. Equites ab utroque
cornu locati: dextrum Ma-
cedones Thessalis adiunctis;
laevum Peloponnenses tue-
bantur Parmenioni au-
tem praeceperat, ut quan-
tum posset, agmen ad mare
extenderet.

Curt. c. II. § 3: Sub-
ductis deinde ex acie Thes-
salis equitibus, praefectum
eorum occulte circumire
tergum suorum iubet, Par-
menionique coniungi, etc.

b) Diodorus eodemque modo Iustinus, pugnam, dum
Darius interesset, atrocissimam ac dubiam fuisse, sed, cum
Darius fugeret, communem fugam factam esse narrant¹⁾.

¹⁾ Diod. c. 34 οἱ δὲ Πέρσαι τὸν βασιλέα κατανοήσαντες ταραττόμε-
νον εἰς φύγην ὤρμησαν. Iustin. XI. c. 9: Tamdiu certamen anceps fuit,
quoad fugeret Darius.

Arrianus vero, Darium inter primos fugisse tradit¹⁾, media acie atque dextero Persarum cornu tam fortiter resistentibus, ut hoc loco pugna diu acerrima ac periculosissima fuisset. In Diodoro igitur atque Iustino pugna ipsa ante, in Arriano post Dari fugam posita est. Quam utramque sententiam in Curtio coniunctam reperimus. Primum eadem certamina ante fugam Dari inita describit, quae Diodorus; sed Diodoro narrante, post regis fugam etiam equites reliquumque exercitum fugisse, Curtius deinde idem quod Arrianus tradit, post regis fugam equitibus Thessalicis cum Persicis etiam acerrime fuisse pugnandum²⁾. Praeterea, quae sequuntur, equites Persarum armis magnopere fuisse impeditos, atque Alexandrum tum demum, victoria omnino adepta, hostem persequi ausum esse, et Curtius et Arrianus narraverunt³⁾, Diodoro vero atque Iustino tacentibus.

c) Neque minus Curtius de Dari fuga et a Diodoro distat, et cum Arriano consentit. Diodorus enim, Darium, quum equi eius currum trahentes essent consternati, primum frena corripuisse, postea alium currum conscendisse narrat, Curtius autem cum Arriano consentiens, Darium equum ascendisse prodit; eodemque loco et Curtius et Arrianus, Darium regni insignia abiecisce narrant, quod in Diodoro prorsus deest.

B.

Curtium in Tyri obsidione narranda⁴⁾ Clitarcho esse usum, multi Curti loci comprobant, qui aut in ceteris scri-

1) Arr. II. c. 11, 4 εὐθὺς σὺν τοῖς πρώτοις ἔφηνγεν. et Arr. c. 10, 5—7 et c. 11, 2 et 7.

2) cf. Curt. c. 11 § 13 et 14. Arr. c. 11, 2.

3) Arr. II. c. 11, 3 et 7.

4) cf. Curt. IV. c. 2—4. Diod. c. 40—46. Arr. II. c. 16, 7 et 8, c. 17—24. Iust. XI. c. 10. Plut. Alex. c. 24 et 25. Polyæn Alex. 4.

ptoribus desunt¹⁾, aut ab iis discrepant, quorum hos praecipue sum allaturus.

Et Diodorus et Curtius, fretum inter Tyrum et continentem situm quatuor, Strabo, tria tantummodo stadia latum fuisse, tradunt²⁾. Praeterea Arrianus ultimum impetum in murum factum narrans, primum Admetum, cum clipeatis, post eum demum Alexandrum pugnasse exponit, neque hoc loco Alexandri fortitudinem imprimis praedicat. Curtius vero ac Diodorus, Alexandrum primum pugnans singularem fortitudine omnibus praestitisse atque hostes hasta, gladio, clipeo necasse produunt³⁾.

Quum Clitarchum a Curtio exscriptum esse iam demonstratum sit, plura argumenta, ex quibus intelligi potest, Curtium obsidionem Tyri narrantem Clitarcho usum esse, afferre non opus est. Attamen haec quoque in narratione magnus est cum Arriano consensus.

Et Curtius, et Arrianus, et Diodorus, Tyrios primo ad aggerem advectos esse, ut impedirent, quominus agger extrueretur, tradunt⁴⁾. Sed de iis, quae sequuntur, Curtius atque Arrianus tantummodo congruunt, Diodorus dissentit. Hic enim, Tyrios ab Alexandro classe repulsos esse exponit, Curtius vero atque Arrianus classis non mentionem faciunt, sed et milites Alexandri opus facientes a pilis hostium coriis velisque esse defensos⁵⁾, et in ultimo aggere duas turres esse eductas, de quibus in naves hostium appropinquantes tela iacta esse narrant.

1) cf. Curt. c. 2 § 14 et 20 c. 4 § 3 et 4. Diod. c. 41. Curt. c. III. § 6, 7, 9, 11 c. 4 § 1. Diod. c. 42. Curt. c. 3, 13. Diod. c. 43.

2) cf. Curt. c. 2 § 7: namque urbem a continenti quatuor stadiorum fretum dividit etc. Diod. c. 40 ... διὰ τὸ τέτταρα σταδίους διείργεσθαι τῆς ἡπείρου κτλ. Strab. XVI. ἥδε πόλις ἀπέχει, σιάδια ἀπὸ θαλάττης γ'.

3) cf. Curt. IV c. 4 § 11 et 12: quosdam etiam gladio clipeoque impulsos praecipitavit (Alexander). Diod. c. 46 αὐτὸς δὲ καθηγο ὕμενος τῶν εἰς χεῖρας βιαζομένων τοὺς μὲν τῷ δόρατι τοὺς δὲ τῇ μαχαίρᾳ τύπτων ἀπέκτεινεν, ἐνίοις δ' αὐτῇ τῇ περιφερείᾳ τῆς ἀσπίδος ἀνατιρέπων κτλ.

4) cf. Arr. c. 18, 5 et 6. Curt. c. 2, 22 et 23.

5) Curt.: coria velaque Arr.: προκαλύμματα δὲ δέφρεις καὶ διφθέραι.

Neque minus quae sequuntur in Curtio atque Arriano consentiunt. Tyrios, uterque tradit, ut res ab Alexandro ad laborantes tuendos gestae ad irritum caderent, navem materiis igni concipiendo idoneis, praecipue bitumine ac sulfure onerasse¹⁾, puppim saburra gravasse, ut prora emineret, navem secundo vento ad aggerem advehisse et res, quarum mentionem feci, in prora sitas incendisse. Quo facto, milites ex hac nave iam flagrante confugisse, turres ac machinas ab igne captas esse; quae non capta essent, a Tyriis esse incensa. Quem consensum nullius esse momenti, qui quaestionem de proelio Issico a me ante habitam legerit, non iudicabit.

C.

Neque Diodorus, neque Iustinus ullius responsi, prima Dari epistola accepta, ab Alexandro dati mentionem fecerunt; et Curtius et Arrianus primum Alexandri responsum epistolam haud brevem afferunt, in qua non modo sententiarum sed etiam verborum consensus est²⁾.

a) Alexander, utroque auctore, huius belli causam a Persis esse datam, scribit³⁾, quod etiam iisdem argumentis demonstrat. Scripsisse enim Alexandrum, Persas sine causa olim Macedonibus ac Graecis bellum intulisse, atque patrem Philippum per homines esse necatum, qui a Persis essent sollicitati, et Curtius et Arrianus tradunt. (Curt. Quos sollicitaverant vestri. Arr: οὗς ὑμεῖς συνετάξατε.)

b) Arr.: μάχη νενύκη-
κα... νὺν δὲ σὲ καὶ τὴν χώ-
ραν ἔχω, τῶν θεῶν μοι δόν-
των.

Curt.: te ipsum acie vici,
magnam partem Asiae in
diditionem redegi meam et
diis quoque pro meliore
stantibus causa.

¹⁾ Curt: bitumine ac sulfure Arr.: πύσσα καὶ θεῖον.

²⁾ cf. Curt. IV. c. 1 § 10 sqq. Arr. II. c. 14.

³⁾ Arr. ἐστράτευσα ἐπὶ σὲ ὑπάρξαντος σοῦ τῆς ἑχθρας. Curt.: repello bellum non infero.

c) Arr.: ἐλθὼν πρὸς με
τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα
καὶ τοὺς παῖδας αἰτεῖ καὶ
λαμβάνει.

d) Arr.: εἰ δὲ φοβῇ . . .
πέμπε τινὰς τὰ πίσια ληψο-
μένους.

e) Arr.: τοῦ λοιποῦ
ὅταν πέμπῃς παρ' ἐμὲ, ὡς βα-
σιλέα τῆς Ἀσίας πέμπε, μηδὲ
ἂ βούλει ἐξ ἴσου ἐπιστέλλει.

Curt.: Si veneris sup-
plex et matrem et conjugem
et liberos sine pretio recep-
turum te esse promitto.

Curt.: Quod si nobis
committere times, dabimus
fidem, impune venturum.

Curt.: De cetero cum
mihi scribes, memento, non
solum regi te, sed etiam tuo
scribere.

D.

Tum in narratione expeditionis ab Alexandro Aegyptum factae Curtius et Arrianus consentire mihi videntur. Maximam quidem partem hoc quoque loco Curtius et Diodorus inter se conveniunt¹⁾. Uterque enim prodit, ab Alexandro, Gazaexpugnata, Amyntam cum decem navibus in Macedoniam missum esse, ut milites conscriberet, posteaque, Alexandrum ab Aegyptiis libenter esse acceptum, quod Persarum regnum iis odiosissimum fuisset. Quae in Curtio sequuntur, in Diodoro desunt, sed ab Arriano congruenter, quin etiam iisdem verbis sunt tradita.

a) Curt.: atque ille sep-
timo die posteaquam a Gaza
copias moverat, pervenit etc.

b) Curt.: Mazaces, prae-
tor Darii relictus etc.

c) Curt.: a Memphi
eodem flumine (Nilo) vectus
ad interiora Aegypti pene-
trat.

Arr.: καὶ ἐβδόμῃ ἡμέρᾳ
ἀπὸ τῆς Γάζης ἐλαύνων, ἦκεν
κ. τ. α.

Arr.: Μαζάκης, ὃς ἦν σα-
τράπης Αἰγύπτου ἐκ Δαρείου
καθεστηκώς. κ. τ. α.

Arr.: ἐκ δὲ Μέρφιος κατ-
έπλει κατὰ τὸν ποταμὸν ὡς
ἐπὶ θάλατταν κ. τ. α.

¹⁾ Curt. IV. c. 7, 2—6. Diod. c. 49. Arr. III. c. 1, 1—5.

E.

In narratione quoque proelii apud Gaugamela commissi consensum Arriani et Curti esse, explicaturus sum.

a) Si Curt IV c. 15. § 9—12 cum Diod. c. 59 comparaveris, utrumque ex eodem fonte Clitarcho hausisse, satis intelliges. Sed quae sequuntur non omnino consentiunt. Diodorus enim tantummodo tradit, copias a Mazaeo ad castra diripienda missas, mandato prospere confecto, revertisse felicem eventum nuntiantes; Curtius vero addit, Menidam, praefectum equitum Alexandri, cum paucis turmis auxilium impediementis laturum advenisse, sed cum impetum Scytharum non sustineret, ad regem refugisse. Tum Alexandrum Areten, ducem hastatorum, contra Scythas misisse¹⁾. Haec narratio, quae in Diodoro deest, cum Arriano vero congruit. Curtius enim atque Arrianus alterum agmen, Menida duce, alterum, illo fugato, Arete duce, ab Alexandro hostibus oppositum esse, tradunt²⁾. Hos duces Arrianus vero missos esse in Persas dextrum cornu circumeuntes narrat, quos et Diodorus et Arrianus ab hostibus castra Alexandri invadentibus discernit. Itaque haec narratio, quae et in Diodoro deest, et cum Arriano consentit, ob eam causam a Curtio falso loco posita esse mihi videtur, quod Curtius hoc loco praeter Clitarchum Arriani fonte est usus.

b) Ea, quae in Curtio sequuntur, ex Clitarcho esse deprompta, si Curtium cum Diodoro contuleris, concedes³⁾. Tum quidem Curtius rursus cum Arriano convenit, quae quoque res et a Curtio et ab Arriano narratae in Diodoro desunt; uterque enim tradit, Bactrianos deinde a Dario missos pugnae vertisse fortunam atque multos Alexandri milites necasse⁴⁾.

1) cf. Curt. IV c. 15 § 12 et 13.

2) cf. Arr. III. c. 13, 2 et 3. c. 14, 1 sqq.

3) cf. Curt. c. 15 § 17 et Diod. c. 58.

4) cf. Curt. c. 15 § 18 et Arr. III. c. 13, 4.

F.

Tum in narratione expeditionis, Susis expugnatis, in ulteriorem Asiae partem factae Curti cum Arriano consensus invenitur. Uterque enim, omnibus aliis scriptoribus de hac re tacentibus, narrant, Sisygambim, Dari matrem, Alexandrum pro Uxiis deprecata esse¹⁾.

G.

Denique in Curtio angustias Persidis ab Alexandro expugnatas narrante non parvum cum Arriano inveni consensus²⁾. Curti atque Arriani verba afferre iam satis est.

Curt: Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto cum peditibus, quis assueverat et iis copiis, quas Meleager ducebat et sagittariis et equitibus etc.

Arr.: Κράτερον μὲν αὐτοῦ καταλείπει ἐπὶ στρατοπέδον τὴν δὲ αὐτοῦ τάξιν ἔχοντα καὶ τὴν Μελεάγρου καὶ τῶν τοξάτων ὀλίγους καὶ τῶν ἱππέων κτ.

Quibus ex argumentis omnibus satis apertum esse mihi videtur, Curtium praeter Clitarchum fonte quodam Arriani usum esse. Atque quis fuerit fons, probaturus sum.

Cum Arrianus in praefatione dicat, se quae ab aliis fontibus praeter Ptolemaeum atque Aristobulum essent tradita, „ὡς λεγόμενα“ tantummodo conscripsisse, constat Curtium aut Ptolemaeo aut Aristobulo usum esse; nam nulli loco cum Curtio congruenti, cuius mentionem feci, Arrianus verba „λεγόμενα“ vel „λέγουσι“ vel „λόγος ἐστίν“, addidit. Cum ita se res habeat, tantummodo dubium est, utrum Curtius Ptolemaeo an Aristobulo usus sit.

Si et Ptolemaei et Aristobuli fragmenta perspexeris, illum res ab Alexandro gestas, expeditiones, proelia, res bellicas narrasse, hunc praecipue terras, populos, plantas,

¹⁾ Hanc narrationem a Curtio ex fonte Arriani haustam esse, ex Arriano satis perspicui potest. cf. p. 21, 2). Attamen hoc loco argumenta illa non praeciipienda esse arbitror.

²⁾ cf. Curt. V. c. 4 § 14. Arr. III c. 18, 4.

fluvios descripsisse, cognosces¹⁾. Itaque, cum antea exposuerim, proelium apud Issum factum, Tyri obsidionem, Alexandri epistolam, expeditionem Aegyptum factam, deprecationem Sisygambis, expugnationem faucium Persicarum a Curtio atque Arriano congruenter esse tradita, iam ob hanc caussam veresimile esse videtur, a Curtio illos locos ex Ptolemaeo exscriptos esse.

Cuius coniecturae multo graviora inveniuntur argumenta. Arrianus enim narrationi de Sisygambis deprecatione cum Curtio consentiente verba praeposuit: „Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάγον λέγει“²⁾, unde satis apparet, illam narrationem in Aristobulo defuisse, ob eamque caussam a Curtio ex Ptolemaeo esse haustam.

Praeterea quum in Curtio ne minimus quidem cum Aristobuli fragmentis consensus inveniatur, Ptolemaeum vero Curtius ipse uno loco citaverit³⁾, mea sententia iam non dubium esse potest, quin illi septem loci cum Arriano congruentes, quos ante attuli, ex Ptolemaeo sint hausti⁴⁾.

Quibus expositis, apertum est, illos locos ab Arriano non ex Aristobulo sed ex Ptolemaeo esse conscriptos, quod adhuc tantummodo uno illorum locorum certum erat, quo Arrianus Ptolemaeum citat⁵⁾.

1) cf. Muel. fragm. Ptol. et Aristob.

2) cf. Curt. V. c. 3 § 12—14 et Arr. III. c. 17, 6: Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάγον λέγει τὴν Λαρεῖον μητέρα δεηθῆναι ὑπὲρ αὐτῶν Ἀλεξάνδρον δοῦναι σφίσι τὴν χώραν οἰκεῖν.

3) Curt. IX. c. 5 § 21: Ptolemaeum, qui postea regnavit, huic pugnae (Mallensi) adfuisse, auctor est Clitarchus et Timagenes. Sed ipse, scilicet gloriae suae refragatus, afuisse, missum in expeditione, memoriae tradidit.

4) Geieri igitur sententia, ex Aristobuli potissimum commentariis hausta esse, quae de Tyri obsidione et expugnatione prodidisset Arrianus II. c. 15—25, falsa est. Hoc praeterea quoque apertum est, quum, quod Menandro auctore Aristobulus narravit, non modo ab Arriano, quod Geier falso putat, sed etiam a ceteris scriptoribus sit traditum. cf. Muel. fragm. Aristob. 7, b.

5) Cum non satis constet, utrum Arrianus an Curtius prius scripserit, locos illos congruentes a Curtio ex Arriano haustos esse posse, putaveris. Quae sententia, si recta esset, nescirem, quomodo factum esset, ut Cur-

§ 3.

Praeterea in Curtio nonnullos inveni locos cum Callisthenis fragmentis consentientes, quos sum allaturus. Iam supra exposui, non quidquam esse argumenti, Diodorum Callisthene esse usum; quod iudicium hic quoque confirmatur, cum omnes res a Callisthene atque Curtio congruenter traditae in Diodoro desunt.

A.

Ac primum Callisthenis fragmentum de proelio apud Issum commissio, quod omnium Callisthenis fragmentorum copiosissimum est, cum Curtio sum collaturus.

a) Descriptionem aciei ab Alexandro ante proelium Issicum instructae a Curtio ex Ptolemaeo haustam esse, iam satis explicavi¹⁾. Aciem vero Dari antea in eodem capite a Curtio descriptam non ex Ptolemaeo esse sumptam, apertum est, quum Curtius atque Arrianus valde inter se distent. Sed quae Polybius ex Callisthene de acie a Dario instructa tradidit, plane cum Curtio consentiunt. Ex Polybi enim narratione, qui Callisthenem refutare conatus est, colligi potest, a Callisthene fuisse traditum, Darium primo in laevo cornu contra Alexandrum pugnaturum triginta milia mercenariorum Graecorum in dextro suo cornu collocasse, sed deinde, consilio media in acie dimicandi capto, illa triginta milia mercenariorum ad se in mediam aciem vocasse²⁾. Arrianus quidem, qui copiose atque accurate et

tius nullas ab Aristobulo, plurimas a Ptolemaeo narratas res ex Arriano transscripsisset. Praeterea quod Curtius pugnam Mallensem describens, Ptolemaeum ipsum, se ab illa pugna afuisse, memoriae tradidisse narrat et tamen hanc pugnam cum Oxydracis esse commissam exposuit, (IX. c. 4 18 „perventum ad oppidum Oxydracarum“) quod Arrianus valde vituperat, (VI., c. 11, 3) certum esse putaverim, Curtium non ex Arriano, sed ex Ptolemaeo hausisse.

¹⁾ cf. p. 13 a).

²⁾ Quae et Dari consilia et res ab eo gestas tali modo a Callisthene fuisse contexta, ex iis, quae Polybius disperse prodidit, colligi potest. Polybius enim XII. c. 18, Callisthene propterea quod triginta milia mer-

consilia et res gestas tradidit, primi consilii, quo Darius utens in laevo suo cornu fuit dimicaturus, triginta milibus mercenariorum in dextro cornu collocatis, nullo verbo mentionem fecit. Sed a Curtio idem consilium proditum est; qui enim Darium et triginta milia mercenariorum in dextro suo cornu collocasse, et in laevo dimicaturum fuisse tradit¹⁾. Descriptionem aciei ab Alexandro instructae, quam a Curtio ex Ptolemaeo exscriptam esse iam probavi, in Curtio sequuntur, quae cum antecedente descriptione aciei non cohaerent²⁾. In illa enim aciei descriptione iam expositum est, equitatum in duobus cornibus fuisse collocatum; in iis autem quae sequuntur, ab Alexandro demum per angustias iter factum esse, deinde equitatum, spatio paullatim maius aperto, ex tergo in cornua praemisum esse Curtius narrat. Eum propterea tempora perturbasse, quod fontem permittasset, coniecere licet. Ac revera in hac Curti narratione itineris ab Alexandro per angustias facti gravissimus cum Callisthene est consensus. Uterque enim tradit, quod in ceteris fontibus deest, Alexandri exercitum triginta et duo armatorum ordines latum per angustias esse profectum³⁾.

B.

Multo apertior est Curti cum Callisthene consensus in narratione proelii apud Gaugamela commissi.

Si Curti narrationem huius proelii cum Plutarchi

cenariorum in dextro cornu collata esse narravit, vituperato, demonstrare conatus est, mercenarios ultra mediam aciem stetisse. Neque Polybio auctore Darium eos demum ad se vocare opus fuisse, quum iam inter eos esset. Tum in capite 22 scribit, Callisthenem haec narrasse: *κατὰ μὲν ἀρχὰς καὶ τὸν Λαρεῖον αὐτὸν (μάχεσθαι) βούλεσθαι κατὰ τὸν Ἀλέξανδρον, ὅστιμον δὲ μετανοῆσαι.*

1) Curt. III. c. 9 § 1 u. 2: Nabarzanes equitatu dextrum cornu tuebatur. In eodem erat Thymodes Graecis peditibus mercede conductis triginta milibus praepositus. § 3: In laevo cornu.... ipsum regem in eodem cornu dimicaturum etc.

2) Curt. III. c. 9 § 12.

3) Curt.: triginta et duo armatorum ordines ibant Polyb. XII. c. 19 τὸ βάθος αὐτῆς ἐπὶ τριάκοντα καὶ δύο πτα.

comparaveris, eos valde inter se consentire invenies. Huc accedit, ut res et a Curtio et a Plutarcho congruenter narratae in Diodoro aut desint, aut a Curtio discrepent.

a) Parmenionem, Curtio ac Plutarcho auctoribus, dum pugnatur, bis ad Alexandrum misisse legatos, qui ab eo peterent, ut ipsi auxilio veniret, primum enim, cum Persae castra Macedonum aggredierentur, deinde cum et ex fronte et ex tergo hostes ipsum invaderent. Diodorus autem narrat, Ptolemaeum tantummodo semel Alexandrum auxilium rogasse, quum hostes a duabus partibus eum aggredierentur¹⁾. Quam rogationem, Curtio atque Plutarcho auctoribus, secundam fuisse apertum est. Praeterea illa Diodori narratio cum Curti ac Plutarchi magnopere differt.

Diodorus enim tradidit, Parmenionis nuncios ad Alexandrum non pervenisse, sed audientes, Alexandrum Darium persequentem longissime processisse, infecta re rediisse. Curtius vero ac Plutarchus, nuncium illum Alexandro delatum esse, quo gravissime commotum eum revertisse prodiderunt²⁾.

b) De primo nuncio a Parmenione ad Alexandrum misso Curtius ac Plutarchus idem narrant³⁾. Alexandrum, cum Parmenio ab eo petivisset, ut auxilio veniret, quod castra in periculo essent, Parmenioni respondisse, se, victoria adepta, non modo sua esse recuperaturum, sed etiam omnia, quae hostium essent, occupaturum, eum, contempto sarcinarum damno, fortiter dimicaret. Praeterea Curtius et Plutarchus soli produnt, Alexandrum secundo Parmenionis nuncio redire permotum, de vera redeundi causa copiis

1) Curt. IV. c. 15 § 6 et c. 16 § 2. Plut. c. 32, 2 et c. 33, 5. Diod. c. 60. Arr. III. c. 15. Quum Arrianus et cum Diodori narratione consentiens a Plutarchi ac Curti discrepans unius tantummodo nuncii a Parmenione ad Alexandrum missi mentionem faciat, et eiusdem, cuius Diodorus, apertum est, hanc Diodori narrationem non propterea cum Curti ac Plutarchi discrepare, quod a Diodoro sit corrupta, sed eam ex alio fonte transcriptam esse, veresimile est.

2) Curt.: „frendente Alexandro“. Plut.: „ὁ βασιλεὺς ἀνιθεῖς“.

3) Curt. IV. c. 15. § 7 et 8. Plut. Alex. c. 32, 3.

celatis, in militum defatigationem ac noctem culpam trans-
tulisse¹⁾.

c) Etiam iisdem verbis utuntur haec narrantes. Aristan-
drum vatem, alba veste indutum, militibus aquilam super
caput Alexandri volantem monstrasse, haud dubium victo-
riae auspicium; quam ob causam Macedonibus animum
maxime esse auctum²⁾.

Ex quibus narrationibus in Curtio ac Plutarcho plane
consentientibus, quas aut in reliquis fontibus deesse, aut
cum iis discrepare probavi, satis apparet, Curtium ac Plu-
tarchum illis locis, quos protuli, eodem fonte esse usos. Sed
quis fuit fons?

Clitarchum non fuisse, apertum est, cum Curtium atque
Diodorum de nonnullis rebus inter se consentire, iam expo-
suerim.

Sed Plutarchus in narratione proelii apud Gaugamela
facti bis Callisthenem citavit. Quem utrumque locum,
cum iis, quae cum Curtio consentiunt, cohaerere, non dif-
ficile est intellectu. Primo enim loco, quo Callisthenes est
nominatus, a Plutarcho narratur, Alexandrum ad deos dex-
tram manum supplicem tetendisse, ut, si revera Iovis filius
esset, Graccos corroborarent atque ulciscerentur³⁾. Ea, quae
sequuntur, aquilam visam, augurium Aristandri vatis, reliqua,
narrationem continuare, satis perspicuum mihi esse videtur.
Supplici enim Alexandro deos aquila visa signum dedisse,
se eius preces audisse, ex narrationis ordine atque connexu
additur. Haec igitur a Plutarcho narrata, quae cum Curtio

¹⁾ cf. Curt. c. 16. § 18 et 19. Plut. c. 33, 5.

²⁾ Curt. IV. c. 15. § 26 et 27. Plut. c. 33, 2.

Curt.: „vates Aristander, alba
veste indutus“ etc.

Curt.: . . . super caput regis
aquilam etc.

Curt.: ingens ergo alacritas
atque fiducia accendit ad pugnam.

Plut.: ὁ δὲ μάντις Ἀρίσταν-
δρος χλανίδα λευκήν ἔχων κ. τ. α.

Plut.: . . . ἀετὸν ὑπὲρ κεφαλῆς
Ἀλεξάνδρου κ. τ. α.

Plut.: ὥστε πολὺ μὲν θάρσον
ἐγγενέσθαι . . . ἐπὶ τοὺς πολε-
μίους ἐπικυμαίνειν τὴν φάλαγγα.

³⁾ Plut. Alex. 33, 1.

convenient, ex eodem fonte esse exscripta, ex quo, quae praecedant, id est ex Callisthene, veresimillimum est. Unde colligi potest, Curtium quoque illam narrationem ex Callisthene hausisse.

Altero loco Callisthenes a Plutarcho media in narratione de Parmenione iterum ab Alexandro auxilium petente citatus est, quam cum Curtio consentire, a ceteris vero scriptoribus distare iam supra satis demonstravi¹⁾.

Quibus ex argumentis omnibus concludere possumus, Curtium proelium et a quod Issum et apud Gaugamela factum narrantem inspexisse Callisthenem. Quo exposito, Curtium multis aliis quoque locis, quibus, cum pauca modo ex Callisthene fragmenta sint tradita, non perspicui potest, Callisthene usum esse, colligere licet.

§ 4.

Curtium praeter Clitarchum, Polemaeum, Callisthenem, aliis quoque fontibus esse usum, paucis verbis sum expositurus.

Curti narrationem Alexandriae conditae atque expeditionis ad Ammonem factae propter maximum cum Diodoro consensum ex Clitarcho esse haustam, qui fontes diligenter inspexerit, concedet. Nonnulla quoque argumenta Raun attulit²⁾. Qua ex narratione unius loci mentionem sum factururus, qui a Curtio ex alio fonte est exscriptus. Curtius enim narrat³⁾: „Cum rex urbis futuris muris polentam, destinasset; avium greges advolasse, et polenta esse pastas: cumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum; respondisse vates, magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta praebituram“.

a) Qui locus et in Diodoro deest, et in Curtio extra narrationis ordinem est positus. De urbis muro enim ab

¹⁾ cf. p. 24 a).

²⁾ cf. Raun p. 13 et 14.

³⁾ Curt. IV. c. 8. § 6.

Alexandro destinato iam ante Curtius locutus neque polen-
tae neque avium mentionem fecit¹⁾.

b) Praeterea Curtius ipse verbis „fama est“, quae illi
loco praeponit, iam significasse videtur, eum non ex Cli-
tarcho esse haustum.

c) Huc accedit, ut Plutarchus, qui hoc loco plane cum
Curtio consentit, hanc narrationem ex Heracleide esse
sumptam commemoraverit²⁾.

Curtium Timagenis librum certe inspexisse, propterea
satis constat, quod uno loco illum citavit, eiusque narra-
tionem de pugna Mallensi, Ptolemaei sententia collata, cor-
rexit atque corripuit³⁾.

In hac ergo quaestione de fontibus Curti instituta
demonstravi, Curtium historiam usque ad Dari mortem nar-
ratam praeter Clitarchum maxime ex Ptolemaeo, paucis
locis ex Callisthene, uno loco certe ex Timagene hausisse.

Cap. 3.

De fontibus Arriani.

Ipse Arrianus in praefatione, se potissimum Ptolemaeum
atque Aristobulum secutum esse affirmat. Sed addit, nonnulla
quoque „ὡς λεγόμενα“ ex aliis fontibus exscripsisse, quae
sibi narratu digna essent visa⁴⁾. Quo in numero Clitarchum
quoque fuisse, hoc loco nonnullis argumentis sum probatu-
rus. Cum Diodoro enim, quem Clitarchum solum exscri-

1) Curt. c. 8. § 2.

2) Plut. c. 26, 2. Ἐὶ δὲ ὅπερ Ἀλεξανδρεῖς λέγουσι, Ἡρακλείδῃ
πιστεύοντες κ. τ. α. Attamen, quum nesciamus, quo tempore Heracleides
vixerit, dubium est, utram Curtius illam narrationem ex ipso Heracleide,
an ex communi fonte, an ex fonte hauserit, qui Heracleide sit usus.

3) Curt. IX c. 5. § 21: Ptolemaeum, qui postea regnavit, huic pugnae
affuisse, auctor est Clitarchus et Timagenes etc.

4) Arr.: „Προοίμιον: ἔστι δὲ ἃ καὶ πρὸς ἄλλων ξυγγεγραμμένα, ὅτι
καὶ αὐτὰ ἀξιοφύγητά τέ μοι ἔδοξε καὶ οὐ πάντῃ ἀπιστα, ὡς λεγόμενα μόνον
ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ἀνέγραφα.

psisse, supra exposui, multa congruunt, quibus Arrianus addidit verba „ὡς λεγόμενα“ vel, quae eandem vim habent „λέγουσι, λέγεται, λόγος ἐστίν, λόγος κατέχει“. Cuiusmodi locos tres tantummodo afferam, quibus Arrianus et Diodorus non modo easdem sententias, sed etiam eadem verba transscripserunt.

a) In narratione de Alexandro Hellespontum transeunte et de rebus ab eo primum in Asia gestis Arrianus plures adhibuit fontes, quos, verbis λέγουσι vel ὡς λόγος additis, neque Ptolemaeum neque Aristobulum esse, satis constat¹⁾. Inter quos fontes secundum ab Arriano verbo λέγουσι introductum propter res cum Diodori narratione plane consentientes Clitarchum esse, veresimillimum est. Arrianus enim hoc loco aequae ac Diodorus narrat, Alexandrum primum ex nave in Asiae terram descendisse, Minervae Troicae sacrificasse, armis suis in eius templo fixis, arma sumpsisse, quae ex Troiano bello usque ad illud tempus fuissent salva. Etiam iisdem verbis utuntur.

Arr.: τῇ τε Ἀθηνᾷ θῦσαι.

Arr.: τὴν πανοπλίαν τὴν αὐτοῦ ἀναθεῖναι κ. τ. α.

b) Diod. c. 37: ὁ δὲ βασιλεὺς ἅμ' ἡμέρᾳ λαβὼν ἓνα τῶν φίλων . . . Ἡφαιστίωνα παρ' ἡλθε πρὸς τὰς γυναῖκας. ἐχόντων δ' ἀμφοτέρων ἐσθῆτας μὲν ὁμοίας, τῷ μεγέθει δὲ καὶ κάλλει προέχοντος τοῦ Ἡφαιστίωνος, ἣ Σισύγαμβρις τοῦτον ὑπολαβοῦσα εἶναι τὸν βασιλέα προσεκύνησεν. διανεύοντων δ' αὐτῇ τῶν παρεστώτων

Diod.: τῇ μὲν Ἀθηνᾷ ἀπετέλεσε θυσίαν κ. τ. α.

Diod.: τὸ μὲν ἴδιον ὄπλον ἀνέθηκεν.

Arr. II. c. 12, 6 et 7: λόγος δὲ ἔχει καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον τῇ ὑστεραίᾳ παρελθεῖν εἴσω ξὺν Ἡφαιστίωνι μόνῳ τῶν ἐταίρων. καὶ τὴν μητέρα τὴν Λαρείου, ἀμφιγνοήσασαν ὅσους ὁ βασιλεὺς εἶη αὐτοῖν, ἐστάλθαι γὰρ ἅμω τῷ αὐτῷ κόσμῳ, τὴν δὲ Ἡφαιστίωνι προσελθεῖν, καὶ προσκυνῆσαι, ὅτι μείζων αὐτῇ ἐφάνη ἐκεῖνος. ὡς δὲ ὁ

¹⁾ cf. Arr. I. c. 11. § 6—8 et c. 12. § 1. Diod. c. 17 et 18 init.

καὶ τῇ χειρὶ δεικνύοντων
τὸν Ἀλέξανδρον, ἣ μὲν
Σισύγαμβρις αἰδεσθεῖσα
τὴν ἄγνοιαν πάλιν ἐξ
ἀρχῆς προσεκύνει τὸν Ἀλέξ-
ανδρον, ὃ δὲ βασιλεὺς
ὑπολαβὼν εἶπε μηδὲν φρον-
τίσης, ὃ μῆτερ. καὶ γὰρ καὶ
οὗτος Ἀλέξανδρός ἐστιν.

Ἡφαισίων τε ὀπίσω ὑπεχώ-
ρησε καὶ τις τῶν ἄμφ'
αὐτὴν, τὸν Ἀλέξανδρον
δείξας, ἐκείνον ἔφη εἶναι
Ἀλέξανδρον, τὴν μὲν καται-
δεσθεῖσαν τῇ διαμαρτίᾳ
ὑποχωρεῖν, Ἀλέξανδρον δὲ
οὐ φάναι αὐτὴν ἁμαρτεῖν.
καὶ γὰρ καὶ ἐκείνον εἶναι
Ἀλέξανδρον.

Verba loquuntur.

c) Alexander, a Dario de pacis conditionibus iterum
legatis missis, amicos ad concilium convocavit, qui senten-
tias aperirent. De iis, quae sequuntur, Diodorus et Arria-
nus, qui huic loco „λέγουσι“ praeposuit, plane inter se con-
sentiunt¹⁾.

Diod. c. 54: Παρμε-
νίων δὲ πρῶτος εἶπεν „ἐγὼ
μὲν ὦν Ἀλέξανδρος ἔλαβον
ἂν τὰ διδόμενα“ ὃ δὲ
Ἀλέξανδρος ὑπολαβὼν εἶπε
„καγὼ, εἰ Παρμενίων ἦν,
ἔλαβον ἂν“.

Arr. II. c. 25, 2:

Παρμενίωνα μὲν λέγουσιν
Ἀλεξάνδρῳ εἰπεῖν, ὅτι αὐτὸς
ἂν Ἀλέξανδρος ὦν κτα. Ἀλέξαν-
δρον δὲ Παρμενίωνι ἀπο-
κρίνασθαι, ὅτι καὶ αὐτὸς ἂν,
εἶπερ Παρμενίων ἦν, οὕτως
ἔπραξεν.

Quibus ex tribus locis a me allatis iam satis apparere
mihi videtur, Arrianum praeter Ptolemaeum et Aristobu-
lum et alios quosdam fontes Clitarcho esse usum²⁾

1) Praeter Diodorum et Arrianum Curtius quoque (IV. c. 11. § 14)
atque Plutarchus (c. 29, 3) hanc narrationem ex Clitarcho deprompserunt.

2) Ab Arriano non scriptorem esse adhibitum, qui ex Clitarcho hau-
serit, sed Clitarchum ipsum, ex iisdem argumentis, quae in quaestionibus
de fontibus Diodori et Curti institutis protuli, veresimile est.

De reliquis rerum Alexandri Magni scriptoribus, Iustino, Plutarcho, Polyaeo, et de primariis fontibus, qui aut Alexandri tempore, aut non multo post sunt scripti, Ptolemaeo, Aristobulo, Callisthene, Clitarcho, quam primum, Germanica quidem sermone utens, in medium proferam quaestionem.

V i t a.

Natus sum ego Rudolphus Petersdorff a. d. XV. Cal. Jul. anni MDCCCXLV in „Budschen“ prope Angerburgiam sito, quae est urbs Borussiae orientalis, patre Carolo, nunc iam sex annos mortuo, matre Louise e gente Hundsdoerffer, adhuc superstite. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis in praestantissima urbis Loetzen schola imbutus in secundam gymnasii Rastenburgensis classem a doctissimo direttore Techow sum receptus. Post quartum annum, testimonio maturitatis accepto, a. d. VIII Cal. Nov. a. 1865 a. professore illustrissimo Friedlaender, tunc prorectore magnifico, Academiae Albertinae Regimontanae civis factus sum ordinique philosophorum adscriptus. Quo ex tempore inclinatione quadam mentis ductus praecipue historicis studiis operam dedi, ad criticam facultatem mentem formare studens. Studiis peractis, examen pro facultate dicendi absolvi, quo ex tempore in gymnasio Gedanensi, sub auspiciis doctissimi et humanissimi directoris Kern maxime florente sum probandus.

Docuervnt me praeter virum doctissimum Nitzsch, quem prae omnibus nomino: Laband, Steffenhagen, Rosencranz, Ueberweg, Lehrs, Friedlaender, Schade, Voigt, Lohmeyer, Hopf, Schubert. Per quatuor annos et seminario historico interfui, tunc professoribus illustr. Schubert ac Nitzsch dirigentibus, et exercitationibus critico-historicis, quae tunc sub prof. Nitzsch, nunc sub professoribus Nitzsch et Maurenbrecher florent.

Quos viros omnes, qui me literis instituerunt ceterosque bene de me meritos pergrata memoria prosequare.

